

ret; nam inflammabilem etiam materiem stanni solutioni ad mineralem purpuram praeparandam adhibendae inesse debere, cum *Erxlebenio*, aliisque persuasum habeo, qui nunquam praecipitatum colore commendabile obtinuerim, si auro dissoluto stanni solutionem admiscuisssem, quae caloris auxilio esset parata, et ex qua proinde omne fere phlogiston sub phlogistici aut nitrosi aëris forma in atmosphaeram abiisset.

Neque vero stanni solutionem album tantum puluerem quandoque ex menstruo, in quo aurum continetur, deicere, sed quandoque etiam, mineralis purpurae loco, nigram calcem producere animaduerti. Etenim cum nuper, ut viderem, quis euentus futurus esset, fumantem nitri spiritum cum muriatico acido ea proportione commiscuisssem, ut hoc menstruum stanno dissoluendo videretur aptum esse, et deinde solutionis eo paratae, quae subluteo colore gaudebat, neque tamen metallo erat penitus saturata, aliquas guttas auri solutioni addidisssem, pellucidum hunc liquorem statim nigrum redditum, et tandem hoc ipso colore conspicuum metallicum puluerem deiectum fuisse obseruavi, qui veluti ex paruis squamis erat compositus, nec vlllo modo ad rubedinem vergebat. Separabam eum deinde a supernatante fluido, illudque aliquid flauedinis suae perdidisse cognoscebam. Hinc erat hic puluis non solum, ut albus, de quo antea locutus sum, stanni terrestres materies, sed vtroque soluto metallo constabat; neque enim vlllo modo dubito, auri solutionem omnem flauedinem perdituram, omneque adeo metallum inde secessurum fuisse, si eam stanni soluti portionem affudisssem, quae auro praecipitando suffecisset. Ceterum ea ipsa, qua ad hoc experimentum fueram usus, stanni solutio cum per quarundam horarum spatium in aperto vase stetisset et aliquid stanni
adhuc